qui sese de inscriptione ne fando quidem hactenus audisse asserebat. Non restat nisi Academia: In eâ quam Tu pro merito personam sustineas, Vir Amplissime nescis nescire nos. Adorior itaque nunc te, et per illum candorem et humanitatem, quâ bene de me meisque mereri in usu habes, rogo et obsecro ne diligentiam et quam poteris authoritatem tuam deesse patiaris mihi quo brevem atque expeditum judicii terminum haec mea quodammodo causa sortiatur. Adderem et benignum, nisi in sapientissimorum Principum verba jurare, quam propter imbecillitatis causam agere, satius longe crederem atque opportunius. Caetera tibi uni committo, iterum precatus, ut nos ab assiduâ operariorum importunitate (gestiunt illi ultimam operi manum imponere) quam primum liberatos velis. Vale Hagae-Comitis 9º Cal. Septris 1620.

Vir Amplissime

(35).

3 Heinsio

De reditu nostro jam dudum publicus te rumor certiorem fecerit. non tempero tamen mihi, neque insalutatâ Lugduno, ubi tantae humanitatis reum me agnosco, quiescendum censeo. quamquam a P. Paulo, cujus viri notitiam commendationi tuae debere gestiebam, non refero ne salutem quidem, nisi fideicommissariam, et ab ore Fulgentii, cujus mihi copiam benignior sors fecit, per occasionem Musici conventus, quo iturum non ille me fortasse, non ego illum ignorabam: Alterum non conveni, quid autem! ne vidi quidem, neque de facie novisse glorior, nisi ex fide pictorum. Cave miseris tamen: et iniquus sis, si ullum immotum lapidem reliquisse dubites quo ad optatissimum tanti viri adspectum admitterer. At enim publicis negotiis admoveri (hunc nobis honorem ab Amplissimo Domino Legato deberi passim innotuerat.) et privatâ eorum consuetudine frui, quorum patria quotidie vel ope vel consiliis utitur τῶν ἀδυνάτων est, in illâ Republica ubi tria verba cum exteris commutata neque protinus ad Senatum delata, odium, suspicionem, invidiam, et quiddam amplius inducere ipsi vidimus, ipsi comperimus, forsan et tu ipse didiceris ab iis, qui ante nos istorum hominum lustraverint ἄστεα καὶ νόον. Porro, litteras tamen tuas homini deferendas curavi: eas quam habuerit charas, quam acceptas, quam item doluerit non ferre utriusque nostrum conditionem ut horulam cominus de amico tam singulari confabularemur, plenissimè fidem Fulgentius fecit. cujus congressu aliquanto sanè consolatior Venetiis discessi, quasi Lunae intuitu contentus, cum Solis non daretur. Non minus interim

debere

debere me tibi profiteor, qui tam benignam operam, tam immerenti, tam ultrò spoponderis, obtuleris, præstiteris, quo me nomine devictum tibi, tuisque perpetuò tenebis, etiam quam antea si potis est, arctius propinque. Vale multum Vir Maxime et nos ama. Hagæ Comitis Stib: Aug. CIƆIƆCXX.

De populo moribusque Italiæ quid sentiam ingenue proloquutus in Elegia quam adjeci. Excidit illa in reditu Clavennæ diem unum otianti, et aliquot insignium virorum censura feliciter elapsa, ad supremum vestrum tribunal confidentiùs festinat. Sed heu! ubi de Clavenna mentionem feci non teneo me, quin tristissimi ab illa Rætia nuncii participem te faciam, quo pauci a discessu nostro diebus, irrupisse fertur in vallem Tellinam Proscriptorum, Hispanorum ac Mediolanensium agmen, et miseranda strage ad mille homines in templo deprehensos trucidasse non fœminarum, non infantium habitâ ratione: per omnem denique regionem horrendum in modum sæviisse.

Heinsio.

Vir Clarissime. (41)

2 De itinere tandem Italico decreto procerum, non dubitare longius decreti sumus, et quem comitatum imus, ipsus Arsenius est: opportunè herculè, et ex voto cum bonorum omnium, tum præsertim meo et meorum qui consuetudinem tanti viri prægratulantur non immerito juventuti meæ. Toti itaque in eo nunc sumus et quidem, ut circa extrema ista assolet, occupatissimi: nam summa, quod ajunt, dies in tertiam aut quartam a Paschate præfixa est, quo magis ignoscere te cupio, si verbis longè quam pro rei dignitate parcioribus, impudens promissorum exactor adsum. Nosti quo tendam, unde non erit quo pluribus te morer aut moneam. unum illud insuper obtestabor, ut si præter commendatitias illas literas, quibus introitum ad intima probitatis Venetæ jam pridem mihi polliceor, aliquid porrò monitionum sive præceptorum ab incomparabilis illâ judicii tui penu superaddere dignatus fueris, summi ante omnia beneficii loco habituros atque me ac Parentem meum confidas. Vale Vir Maxime et me ama, cui nulla regionum longinquitas hanc benevolentiæ tuæ memoriam hunc sincerum erga te affectum excussura est; ita me sospitet quite incolumem patriæ tuisque D: Opt: Maximus. Raptim Hagæ ipsis Idibus Aprilis 1620. Tui amantissimus observantissimus

C. Hugenius.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/89